


Sowiński Thomae Joannis: Novum posthumae memoriae monumentum Venerandis Patrum Almae acad. Crac. cineribus in novo S. Annae Basilica erectum.


Biblioteka Jagiellońska
stdr0004947

NOVUM
POSTHVMÆ MEMORIÆ
MONUMENTUM,
VENERANDIS PATRVM,
ALMÆ ACADEMIÆ CRACOVIENSIS
CINERIBVS,
in Nova S. ANNÆ Basilica,
ERECTVM;
&
Festo, Transportationis
OSSIUM EORUM DIE,
AB
Vniversis Ordinibus Academicis,
Pietate Lugubri
CELEBRATO,
ad gratam recordationem,
imitationemq; Posterorum,
Filiali erga Patres cultu,
ac obsequio parentali
A

M: THOMA JOANNE SOWINSKI,
Philosophiæ Doctore, ac Professore, Collega Minore,

CONSIGNATVM.
Anno Domini 1696. Die 19. Novembris.

CRACOVIÆ, TYPIS VNIVERSITATIS.



MONUMENTA PATRUM,

CORDA FILIORVM,

Tunc Solennibus coluntur exequijs,
& nova sunt semper;
quum facta, dictaq; Eorum secum memore mente revolvunt;
Famamq;, ac Figuram Animorum magis,
quàm Corporum complectuntur.

Magnorum busta Virorum,
Si vindicijs funerum destinantur,
nunquàm magnificentiùs posteris patent;
quàm dum in pijs reconditi affectibus vigent.
Cælatura hæc, arcanâ animorum confessione insignis,
stuporem quidem habet,
sed non silentium.
Quod cùm acerbi doloris oracula
temporum vicissitudini in obscurum
memoriæ lapsum manifestet;
ea tamèn intra vocalem gratitudinis sortem
conservat ad immortalitatem.



Ebur Marmor, & Saxa,
voces perennitatis,
multorum Artificum ingenia fatigant,
ut Vitam Maiorum, in animis mortalium statuant.
Sed hæc calentibus desiderijs animata,
aut Multorum votis satiata,
scalpræ & opificum crusta fiunt.

Extor-

Extorquent quidem hominum memoriam,
ſed vigente elegantia,
quam ſi tempus edax rerum conſumpſerit,
ſilentium in vmbra penſant.
Sola pietas ſæculorum lingua & confeſſio,
vitam in animis loquitur non ſepulturam.
Nimirùm ILLUSTRIUM VIRORUM CINERES,
nunquàm inter rudera Antiquitatis
aut inquietos temporum caſus cenſentur,
ſi pijs poſterorum votis concreduntur.
Vivunt inter funeſtos rerum caſus
MAGNA NOMINA SECURA;
nec vlli temporum iniuriæ ſubiacent,
quæ gratæ pietatis in vrna clauduntur.
Quod enim rectè factorum gloria promeruit ad excellentiam,
hoc pia in ſuccedentibus recognitio,
ſine cenſu gloriæ æſtimatum non ſinit,
quin ſolenni recordatione compenſet.
Quis cogitaſſet tot Prædeceſſorum momoriam
celebri cultu immortalem fore!
quibus puluerem terræ pro fine & quiete DEVS edixit.
triſtis reuerſio in Cineres,
juſtitiæ Diuinæ rigorem obſeruat,
relicto tamen ad poſteros: monumento pietatis,
vt quorum operâ & curâ erigimur,
in ſtationem doctrinæ & vitæ integritatem,
eorum etiam meritis, ſolenne gloriæ
Simulacrum, conſtruamus.
Feſtum hunc diem,
inter faſtos literarum nouiſſimum
agimus & ſcribimus Vobis
Pij Manes, Patres olim Literariæ Reipublicæ Diuí,
Magna Nomina & fulcra:
nouo cultu & reuerentiâ,
pijs affectibus & memoriâ:

 dum

dum post trium sæculorum euolutionem,
recondita monumenta vestra,
Splendore & vitæ gloriâ, adornata admiramur,
eo intuitu, quo fatorum sortem, Diuinæ legis
interpretem, legimus non absq; casu:
quòd aliquando Ædium rudera fieri necesse sit;
vt gloria Maiorum & famæ excellentia
arcanâ vicissitudine occlusa, manifestetur.
Nec mirum! cur gratos omnium Nostrum affectus
pio erga vos cultu renouemus!
Nam si septem Vrbes Homero contenderunt in gloriam,
& prodigium sepulchri,
quòd Iliadem integram Græcia comperisset.
Quo Vos trophæo quouè Mausolæo, Artemisia Vestra Academia locabit,
qui ingentibus laboribus, scriptis factisq;
hanc literariam Rempublicam, auxistis, condidistis,
pietate integram conseruastis.

Renascimini igitur Noui Phænices,
grato amantium filiorum flamine accensi,
Quibus ardens pro bono publico Zelus,
Augustum in posteris mentibus
rogum exstruxit.
Lugubrem vnde simul & hilarem fandi materiam relinquitis,
illam, quod repositam quietem inter tot vmbras
& monumenta antiquitatis,
nouo suspirio intueamur:
hanc; quod Nouæ huius Basilicæ fundamenta
tam excellenti pignore adornata censeamus.

Occupatis hoc Patrimonium Vestrum,
multis Literarum laboribus partum,
noua possessione gloriæ, & eo jure,
vt cultus hîc alter nullus fieri possit
(mirâ dispositione Superum)
priusquam vobis, prima pietatis reuerentia
concedatur.
Impleuistis odore suauitatis vtrasq; Ædes
Antiquas;

Antiquas; vt ex ijs Sanctimonia vitæ
ſpectanti populo pateret in admirationem;
Nouas: vt ex acceſſione Cinerum Veſtrorum
maior ornatus haberetur.
Fuerit ſanè cura multorum
magna aluiſſe ingenia muneribus,
vt HAMMONII Iouis filios ex Olympiade neſciamus.
Nobis hæc ſecuritas eſt;
ex rectè factorum conſcientia,
aliam Maiorum propaginem humili ſtudio compenſare.
Placuêre multis Hectores
magis quàm Pompilij,
aut Ilium quàm Parthenope;
Vera tamèn gloria non ab Antiquitate,
ſed à meritis pretium habet.
Paræneſis eſt hæc
Tuæ æternæ Famæ
DIVE SAMBORITANE,
S. Theologiæ Doctor & Profeſſor,
Humilitatis exemplar, & Virtutum Compendium,
gravium ſtatera morum & admiratio,
Iuventutis erudiendæ Norma & Votum,
cuius integritati Vitæ, & Sanctimoniæ
plauſum fecêre cælitùs obſervata prodigia;
Prima Inſtitutio
B. STANISLAI KOSTKA,
Præceptum Domini lucidum,
quo ad Splendores & Scientiam Sanctorum profecit
Nominis claritas publicis in Tabulis erecta,
Tuorum quidem candida interpres præclarè factorum;
Sed nobis Schola Sanctitatis, & omnium virtutum
Gymnaſium;
humi ad Orientem proſtratus in plenitudine meritorum

 Vivere

Vivere & mori in terris desiisti,
ut è Cælo orireris Academicis Tuis Lucifer pietatis.
Sancta hæc
Vestigia gloriosè premis & prensas
ò Summum Literatorum Decus
ADAME OPATOVI,
S. Th. Doctor & Professor,
Cultura literarum & Scientiarum rerum Divinarum
Tuo Sæculo Princeps:
Pauperum alendorum & Vestiendorum vltimum refugium,
Afflictorum Asylum & consolatio.
Piarum fundationum Maximus Author,
Fidei Orthodoxæ Columna Adamantina,
Vltra 40. Annos in statione Academica;
continuis laboribus, laudabiliter functus non fractus,
tantùm promeruisti literis apud posteros,
quantùm ad integritatem gloriæ
sufficit habuisse.
Pijs quidem affectibus Nostris fuisti Suspirium & votum,
nunc opinione Sanctitatis Oraculum es,
Quod
in Transportatione Ossium Tuorum,
Violarum odore suauissimo.
Vtramq; Basilicam impleveris.
Immensum hoc Solatium est Successorum,
quod cum
relatione Maiorum Arcanis Virtutibus
florere volueris,
te DEVS
sine grato Sanctimoniæ testimonio habere noluerit.
Stupendo
Divinæ humanæq; Sapientiæ Vestræ lumine
Sepulchrales quoq; vmbras dispungitis, Splendida
Theo-

Theologorum Luminaria
SIMON HALICI,
Oratorum Tylicianæ Fundationis gloria Prima,
S. Th. Doctor & Professor,
Vitæ Sanctimonia & doctrinæ salutaris excellentiâ
piè credentium, judicio Divis
addite Bonis.
MATTHIA BLOSI,
S. Th. Doctor & Professor,
Grandevæ ætatis imago & jdea,
Consvetudinum Academicarum observantissime
Laborum in statione Academica Cultor eximie,
Octo & Septuaginta Annos Nate,
in ipsa lectione
de Angelis numerosa Auditorum frequentia
spectante & stupente,
ex Cathedra ab Angelis ad Collegium Beatorum
Relate.
IACOBE PIOTROVICI,
Morum gravitate & Sacrâ eloquentiâ celeberrime,
Nobilissimæ Polonæ Iuventutis Chiron felicissime,
in ipso rerum pulcherrimarum apparatu,
rebus humanis
magno omnium desiderio erepte.
ANDREA LIPNICI,
Ecclesiastes Zelozissime,
Cælestis eloquij thymiamata Sabæis iucundiora fundens
in media Concione, magno ad stantium suspirio
ad superos euocate.
IACOBE VITELLI,
S. Th: Doctor & Professor.
Quem
Natura ad omne scientiarum genus
ad omnigenæ eruditionis & linguarum peritiam efformauit,

Labor summus & virtus exercuit;
in expugnandis Calvini erroribus
Torunij in Prussia publica disputatio
Magno fidei incremento
totum clarauit per Orbem.
Quam verò
à me feret pietatis Adoream
Vernans in Cinere Virtus Vestra multiplex,
Præsentis sæculi sidera clarissima
acerbo funere mersa
FLORIANE LEPIECKI,
S. Th: Professor.
vtriusq; facundiæ dulce florilegium,
Sanguinis mei gemmea Corona,
Decus, pretium, patrocinium,
Immortalium scriptorum monumentis perennibus
in animis eruditorum, perennem
promerite gloriam.
NICOLAE SVLIKOWSKI,
S. Th: Doctor & Professor,
Cantator Cygne funeris ipse Tui,
Peracto tremendæ Missæ Sacrificio,
Ad Nuptias Agni Immaculati conuiuium piorum
cum triumphali Alalagmo
Te DEVM Laudamus,
invitate.
ADAME MŁYNKIEWIC,
S. Th: Professor.
Iurium Academicorum vindex acerrime,
egenorum, bonorumq; ingenuorum Altor amplissime.
LVCA PIOTROWSKI,
purissima siderum luce, pro ingentibus in rem Academicam
meritis & beneficijs dignissime.
IOANNES RADZKI,
Eruditarum gratiarum sacrarium,

Conten-

Contendentium ad Laureas Philoſophicas, dulce præſidium.
SIMON MAKOWSKI,
Sol Doctorum nitidiſſime;
Libertatis Academicæ Aſſertor Magnanime,
in ferendis laboribus PALMA VIRENS,
in reſolvendis & elucidandis S. Scripturæ Arcanis MIRACVLVM;
tot Sapientiſsimorum in Sacris Voluminum,
AVTHOR EXIMIE.
JACOBE BALTAZAROVI,
Vir priſci moris & candoris vitâ integerrime,
SACRÆ THEOLOGIÆ DOCTORES,
Peraugusti Trium Coronarum Vavelli,
PRETIOSI TRES VNIONES.
Salve, æternumq; Vale
Doctiſſimi VALENTINI MAZURKIEVII,
S. Th. Profeſſoris,
Vmbra omni ſidere clarior,
omnium eruditæ antiquitatis reconditorium,
Viva dum fuit vita, Bibliotheca.
Infandum Tu quoq; jubes renovare dolorem,
futurus olim Regni literarij grande Decus & Columen,
nunc Cinis exiguus,
VENCESLAE STRASZYNSKI,
S. Th. Profeſſor,
Philoſophorum & Theologorum Apex,
præcipiti fatorum, mortiſq; properæ invidiâ,
ad vallem mortalitatis depreſſe.
Magnis Patrum Vmbris
Major Phæbo dies accedit,
cum Tuis exuvijs nihil mortalitati debentibus,
MAGNE BIEZANOVI,
Muſarum corculum & fandi gratia vivax,
Regum delicium, bonorum ingeniorum Pater,
Æſtimatio, Pretium,
Omnis ævi Oratorum & Poëtarum excellentium,
feliciſſimo ingenio,
Summam ſupergreſſe gloriam;

in præclarè factis meritis, scriptis immortalibus,
si sæcula, & ingeniorum Phænices vicisti,
immortalitatem adæquasti.
Parcite Clarissimæ etiam in Sepulchris perenniū ingeniorum exuviæ,
Quas innominatas relinquo.
Quis singulorum fando decora recensuerit!
Orbem terrarum virtutum & doctrinarum splendore illustrâstis,
ergo in pulverem reversis, sit Vobis Terra levis.

Te verò Polonum Tobiam,
Vivum misericordiarum Domini instrumentum,
in viscera charitatis totum effusum,
vitâ longissimâ donet DEUS,
& pia molimina Tua præveniat,
in benedictionibus dulcedinis,
Perillustris, & Reverendissime Domine,

M. SEBASTIANE PISKORSKI,
I. V. Doctor & Professor, CANONICE Cracoviensis, &c.
Cujus curâ maximâ, solicitudine immensa,
prudentiâ industriâq; incomparabili.

Opus hoc Novæ Ecclesiæ basilicum,
altiùs in æthera surgit,
& OSSA arida PATRVM,
in Novum translata MONVMENTVM, audiunt VERBVM DEI.

Salvete igitur Cineres, Simulacra Sanctitatis,
SANCTARUM RELIQVIÆ ANIMARUM,
DOCTORUM IDEÆ,
Pignora Immotalitatis.
Salvete Magnorum Rei Academicæ Columinum Umbræ,
sed in Lucem commutatæ,
Firmate similitudine morum, vitæ integritate intaminatâ, scientiarum glori
Regnum hoc Literarium,
cum RECTORE MAGNIFICO,
Hodiernæ Solennitatis Authore Primo.
Salvete Urnæ claritudine meritorum fulgentes,
NOVI MONUMENTI Primi, sed non novissimi HOSPITES,
NOVÆ DOMUS DOMINI DIVI PENATES,
DET Vobis Requiem sempiternam ILLE,
QVI *mortem nostram moriendo destructurus*,
Primitiæ dormientium CHRISTVS,
Novo voluit condi in

MONUMENTO.

PERMISSU MAGNIFICI DOMINI RECTORIS.